



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Consolatione Invsto-|||rvm**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3678**

Ducente Dei spiritu aditum ad consolationem fieri, & vnde illa sumatur. In quo Oeconomia libri est. Capvt IIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60369](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60369)

dum conferunt, ne in nefariam impatiens  
cadant; sed ut eruditii diuinitus, ere-  
di atque celsi remanere possint, expectan-  
tes beatā spē prouidentiae & aeterni Dei, cuius  
gloria plenus est vniuersus orbis terrarū.

Ducente Dei spiritu aditum  
ad consolationem fieri, & vn-  
de illa sumatur.

## CAPVT IIII.

**M**anent igitur in patientia iusti  
homines, quanquam sēpē acris  
accedente dolore, quo adorti, ad  
necessaria de salute sua consilia confugi-  
unt. Et si enim veræ ipsorum saluti nihil  
desit, fit tamen sēpē numero, ut in graui  
perturbatione versentur. formæ enim oc-  
currunt eae, quæ mentes perterrefaciant,  
eas confirmatores assiduitas efficit, ut ad  
similitudinē veri accedant, & a grē ani-  
mis eximi & auferri queāt. In hac quasi  
tēpestate metis, magnis præsidij s est opus,  
ac quoniam ab animis metu exagitatis  
difficulter admittuntur, perqurenda om-

B 3 nia

nia sunt, quæ mentes lenire ad constantiam fidei retinendam possint: quamobrem firmis rationibus est innitendum, ut falsæ & adumbratae imagines rerum auferantur, veræ ad animum penetrare possint. Abducenda mens ab opinionibus vulgi, quas introduxit error, non ratio, stultitia popularitatem, non villa soliditate subni<sup>x</sup>cas. Ab humanis ad diuina veniendū erit. Magna est quidem in eo difficultas, vincula enim animis propter scelus iniecta sunt, sed aditus ad inquisitionem veri ducente spiritu diuino relictus, hic unus ignorantiam tollet, & veram intelligentiae lucem dabit. Hanc utinam D E V S cuius summa ac diuina vi omnia conseruantur & timore liberantur, ab sede diuinitatis tua demittas, vt comite veritate sempiterna tua, præluceat nobis, ac consolationem suppeditet veram ac cœlestem, qua conticescere illa lamentatio atque gemitus, & animus ab curarum æstu refrigerari queat. Ad hoc cōsequendum ipsum in primis fon-

tem

tem miseriārum atque caput, ex hominis  
initijs perscrutabimur, vnde illud efficie-  
tur atque constabit, D E V M omnis veri  
boni, nullius mali autorem esse. Quæ vero  
in bonis ac malis ponuntur, plerumq; om-  
ni hominum generi communia, hoc tamē  
differre, quod nefarij homines, sæpe beati,  
nec in malis esse videantur, hoc opinione,  
non reuerā fieri, nec ad ipsorum salutem,  
sed interitum pertinere. Ex aduerso autē,  
pijs sæpe necessariō semper utiliter, arūnas  
quibuscum luctentur immitti, vt in officio  
persistant. Vnde perspicua diuinæ prouī-  
dentia demonstratio est ut bonis ingenti  
gloria conseruatis Dei maiestas illustrior  
fiat. Quamobrem ita est statuendum, iu-  
sto homini omnem consolationem ponen-  
dam in Deo, eamq; inter vniuersas agri-  
tudines ac vitæ incommoda in fide, spe, &  
charitate esse constituendam. Hac qui co-  
gitationibus subycient suis, y nūquam ex  
affectu conditionis humanae sua malis  
exanimati coincident, aut in desperatio-

B 4 nem

32 DE CONSOL. IVSTOR.

nem labentur, sed ad cœlestia animis sublati, in Deo gaudium suum, & expectationem ponent, eoqz sacto, fructum aeternum virtutis & patientiae suæ ferent.

De hominis origine, varijsque euentis, & de ipso malorum exortu.

CAPVT V.

**V**erum ut tanti boni initium queratur, recolamus animo praterita, & in illam, quæ nunquam abest à rebus humanis iustitiam & misericordiam Dei intuebimur, in hac firmamentum ac caput consolationis, in toto cursu vita & casibus qz humanis statuemus. Cum enim abs Deo beatissimo omnium rerum bonitate summa inuitato, ut vis illa præstantis ac diuinæ naturæ longius diffunderetur, procreata omnia ordine & ornatu admirando essent, tandem opificium Dei ornatum homo, qui cæteris cum imperio præcesset aditus est simulachrum & imago diuinitatis, quam representaret & ad cuius